

longum est. Ex hoc morbo cupiditatis in spectaculis exhibentur quaeque miracula. Hinc ad perscrutanda naturae secreta (quae praeter nos est) operta proceditur, quae scire nihil prodest, - et nihil aliud quam scire homines cupiunt. Hinc etiam, si quid eodem perversae scientiae fine per artes magicas quaeritur. Hinc etiam in ipsa religione Deus tentatur, cum signa et prodigia flagitantur, non ad aliquam salutem, sed ad solam experientiam desiderata. In hac tamen immensa silva plena insidiarum et periculorum, ecce quam multa praeciderim et a meo corde dispulerim, sicuti donasti me facere, Deus salutis meae. At tamen quando audeo dicere, cum circumquaque quotidianam vitam nostram tam multa hujus generis rerum circumstrepant, quando audeo dicere, nulla re tali me intentu fieri ad spectandum et vana cura capiendum? Sane me jam theatra non rapiunt, nec curo nosse transitus siderum, nec anima mea umquam responsa quaesivit umbrarum; omnia sacrilega sacramenta detestor. A te, Domine Deus meus, cui humilem famulatum ac simplicem debeo, quantis mecum suggestionum machinationibus agit inimicus, ut signum aliquod petam! Sed obsecro te per regem nostrum, et patriam Jerusalem, simplicem, castam, ut quemadmodum a me longe est ista consensio, ita sit semper longe atque longius. Pro salute autem cujusquam cum te rogo, alius multum differens finis est intentionis meae, et te facientem quod vis, das mihi et dabis libenter sequi. Verum tamen in quam multis minutissimis et contemptibilibus rebus curiositas quotidie nostra tentatur! Et quam saepe labamur, quis enumerat? Quoties narrantes inania primo quasi toleramus, ne offendamus infirmos, deinde paulatim libenter advertimus? Canem currentem post leporem iam non specto, cum in circo fit; at vero in agro, si casu transeam, avertit me fortassis et ab aliqua magna cogitatione, atque ad se convertit illa venatio, non deviare cogens corpore jumenti, sed